



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Emanuel Calascibetta n. 124

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

Iesuita,  
proinde  
Theatini  
dici viden-  
tur, quasi  
diuini, aut  
contempla-  
tores Dei.

124. \* AB EMANVELE CALASCIBETTA, *In Vita B. Caietani sui Ordinis Fundatore cap. 6. pag. 19.* In Hispania (inquit) Theatinorum nomine intelliguntur Patres Societatis IESV, quia ita eos communis vox nominat, forte ob opinionem, & virtutem horum Religiosorum, quos plaudit Orbis. Sed hæc vox à Græca deducta videtur, siue Teos, qua Deus signatur: siue Teatis, qua contemplator; proinde dici videntur, quasi diuini, seu contemplatores. Vnde Theatinum dicere, idem est, quod diuinum, aut contemplatorem Dei appellare. Sic ille. *Vnde Theatinorum appellatio vulgaris, Iesuitis cedit in gloriam.*

## A B A R N A B I T I S.

Epistola  
Barnabita-  
rum in obi-  
tu B.P.N.  
Ignatij.

125. **H**Ac ad literam Epistola Romam Mediolano missa audito Sanctissimi Parentis nostri obitu dolorem suum explicantibus, & in tanto Patre Filios, & Societatem venerantibus. Postquam (inquiunt) nobis renunciatus est hinc in vitam meliorem recessus beatæ memoriæ Venerabilis Patris Ignatij, non mediocri cor nostrum pupugit dolor, tum vestri causa, totiusque sanctæ Congregationis IESV, quæ tali Magistro, ac Parente orbata dolens, mœrensque remansit; tum nostri, quorum etiam Pater erat. Dolendum quidem quod raptus est nobis hoc maxime tempore, quo bonorum virorum tanta caritas est; consolandum vero est, quod ad meliora transierit. Iustus enim viuere Christus est, & mori lucrum: quia & dissolui, & cum Christo esse multo illis melius. Quo fit ut cum B<sup>mo</sup>. Petro Kalendas Augusti corporeis solutus vinculis, ad cælestia lætus migrauerit. Hoc tantum metuendum est, ne aliquo nostro peccato ereptus sit mundo, & sicut de sancto Iosia legimus, quia Iudæorum populo graue imminabat exitium, Rex iustus ante sublatus est. Sicut Domino placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedictum: sed ne-  
que

Qui instar  
Iosia è vi-  
uis sublatus  
est.  
Eccli. 49.  
1.